

## LIBER SECUNDUS

# DECRETALIUM

### PRÆFATIO.

Postquam libro primo *Decretalium* de personis ecclesiasticis atque iudicibus, horumque officiis et potestate dictum fuit, simulque circa finem de præparatoriis iudiciorum, quæ videlicet vel res controversæ amicabiliter aut transigendo componuntur, seu per arbitros definiuntur, vel certe processui iudiciario sternitur via: nunc compilator juris canonici, recedens ab ordine juris civilis, in quo post personas agitur de rebus, pulcherrima methodo tractat de iudiciis ipsis, seu toto ordine ac processu iudiciario. Itaque pro objecto hujus secundi *Decretalium* libri statui potest *Ordo iudiciarius*; qui cum tria principalia membra seu partes contineat, videlicet principium, medium, et finem, Auth. *Ad hæc. C. de Iudiciis*: de singulis per ordinem in præsentis libro tractatur. Principium siquidem iudicii, sive processus iudiciarii (ut ex communi tradit Jason *Ad Rubricam*, tit. Cod. *de Iudiciis*, n. 4.) durat a citatione, sive libelli oblatione, usque ad litem contestationem inclusive; nam contestatio litem est iudicii (ordinarii) fundamentum, lapsisque angularis, secundum Baldum in cap. un. *de Litis contestat.* Et de hoc iudicii, seu processus iudiciarii principio, tractant priores tituli usque ad sextum. Medium processus iudiciarii, quod durat a contestatione litem exclusive usque ad conclusionem in causa inclusive, explicatur a titulo septimo, qui agit *de Juramento calumnie*, usque ad titulum vigesimum sextum. Finis tandem iudicii consistit in sententia definitiva, ejusque executione, quæ a iudice proferri debet post probationes, et exceptiones partium absolutas,

factamque ab ipsis conclusionem in causa, qua sive expresse, sive tacite, ulteriori probationi renuntiant, seque ad sententiam submitunt: et de hoc iudicii fine agitur a titulo vigesimo septimo usque ad finem. Nos, Deo favente, utiliores materias breviter, quantum licuerit, explicabimus.

### TITULUS I.

#### De Iudiciis.

1. *Ratio ordinis rubricarum.* — Quoniam in secundo libro *Decretalium* agitur de iudiciis, seu processu iudiciario, præsertim in causis civilibus observando (nam de criminalibus expresso tractatur libro quinto *Decretalium*) merito compilator præmisit generalem de *Iudiciis* rubricam. Unde sit

#### § I.

##### PRÆMITTUNTUR GENERALIA DE IUDICIIS.

2. *Judicii nomen varias habet acceptiones; et quas?* — Quæritur I. Quid sit iudicium, quibusque ex personis constituatur? Ubi prænotandum, quod nomen *Judicium* sit æquivocum, pluresque habeat significationes. Quandoque enim sumitur pro discretionem, seu usu rationis: in quo sensu infans et furiosus dicuntur carere iudicio; c. *Ex parte*. 3, *de Corpor. vitiat.*, et alibi. Quandoque pro examinatione, seu deliberatione, ut can. 2, dist. 59, ibi: « Quod oportet districti semper

esse iudicii, » id est, magnæ deliberationis. Quandoque pro pœna; ut can. *Et purgabit.* dist. 50, ibi: « Tempus est, ut iudicium incipiat a domo Dei. » Tacentur aliæ iudicii acceptationes, quarum quindecim refert Glossa c. *In iudiciis. de Reg. jur.* in 6, cum ad propositum non serviant. His præmissis,

3. *Quomodo sumatur in proposito? Eiusque definitio per Glossam data.* — Resp. I. *Judicium* in proposito sumitur pro causæ discussione, quæ coram iudice pro tribunali sedente fit. Et dicitur « iudicium quasi iudicatio: » quia nimirum ibi, quid juris sit, discutitur, ac ferendo sententiam dicitur; prout notat Isidorus, relatus in c. *Forus*, 10. *de Verb. signif.* Atque in hac acceptatione definitur illud a Glossa ibid. §. *Judicium*, taliter: « Iudicium est legitimus actus duarum personarum, actoris et rei, super eadem quæstione sub eodem iudice contra. »

4. *Objectio contra hanc, ejusque solutio.* — Dices: Datur quandoque iudicium sine actore: ut si iudex prævia infamia ex officio procedit per inquisitionem, juxta c. *Qualiter et quando.* 24. *de Accusationib.* Quandoque etiam iudex procedit sine reo: ut cum de crimine notorio, cujus auctor ignoratur, inquiri in genere, quis illud fecerit; ut l. I, §. *Qui quæstionem.* ff. *de Quæstionib.* Ergo allata definitio non videtur esse bona, cum non sit convertibilis cum definito. Rep. neg. consequent. Quidquid non pauci contradicant, rejicientes præmissam iudicii definitionem, et aliam substituentes; ut videre est apud Abbatem ad rubricam. h. t. n. 1 et 2 subjungentem: quod « iudicium sit causæ discussio, quæ coram iudice iudice fit. »

5. *In iudicio semper intervenit actor, vel vere, vel ficte.* — Ad primam instantiam dicitur, quod in iudicio semper interveniant dictæ tres personæ (videlicet actor, reus, et iudex) vel vere, vel saltem ficte. Siquidem fama, seu infamia prærequisita ad inquisitionem specialem, habetur loco actoris, seu accusatoris, arg. cit. c. *Qualiter et quando. de Accusatione.*, ibi: « Sed quasi denuntiante fama, vel deferente clamore. »

6. *Refertur alia iudicii definitio.* — Ad alteram respondetur, quamvis ibi necdum adsit reus certus quoad iudicem, adesse tamen reum certum in se, atque coram iudice ex futuro inquisitionis eventu certificandum: quanquam etiam dici possit, dum adhuc inquiritur, non esse verum iudicium. Pirhing h. t. n. 2, quamvis ipse pro majori claritate

addat etiam iudicii definitionem, dicendo: « Iudicium est legitima controversiæ apud iudicem tractatio et iudicatio. »

7. *Ad hoc constituendum requiruntur tres personæ principales.* — Resp. II. Tres sunt personæ principales, quæ ad constituendum iudicium requiruntur; videlicet actor, reus, et iudex. Patet hoc ex sancto Isidoro libr. XVIII *Etymolog.* relatio in c. *Forus*, 10. *In omni, de Verb. signif.*

8, 9 et 10. *Actor, reus, et iudex; et unde sic dicantur?* — Porro *actor*, ab *agendo* dictus, est ille, qui actionem intentat contra alium; id est, qui agit et pulsat, seu provocat alium, rem quampiam ab eo petens in iudicio. Quod si quis agat contra alium criminaliter, seu ad publicam vindictam pro crimine infligendam, is speciali nomine dicitur *Accusator*.

*Reus a re*, super qua convenitur, appellatio nem accepit; estque ille, contra quem in iudicio agitur. Hinc in cit. c. *Forus, de Verb. signif.* dicitur: « Reus a re, quæ petitur, nuncupatur: quia quamvis sceleris conscius non sit, reus tamen dicitur, quamdiu in iudicio pro re aliqua petitur. »

*Iudex* tandem sit dictus est, « quasi jus dicens populo: » prout notatur in cit. c. *Forus.* Verum de iudice plura tum in propriis titulis libri primi *Decretalium*, tum in progressu.

11. *Dantur in iudiciis aliæ personæ accessoriæ; et quæ?* — Additur notanter in data n. 7 conclusione, « Tres sunt personæ principales, » etc. Dantur enim in iudiciis quædam aliæ personæ accessoriæ, seu minus principales; ut puta testes, advocatus, procurator, assessor, tabellio, et aliæ nonnullæ, veluti ministri justitiæ. Verumtamen hæ non sunt principales in iudicio personæ, quamvis ad legitimam ejus administrationem plerumque adhibeantur, sique inter personas ipsius accessorias merito connumerentur.

12. *Quid sint, et quomodo differant hæc quatuor; nempe iudicium, seu processus?* — Quæritur II. Quomodo hæc quatuor, videlicet « Iudicium, instantia, causa et lis » inter se differant? Resp. cum Jasone in l. *Postquam isti*, n. 10. C. *de Pactis.* Maranta in *Speculo aureo*, part. V. n. 1 et 2, et 63, ac seqq.; Pirhing h. t. n. 4, et aliis, differre in his: quia *iudicium*, quod sumpsit denominationem a *iudice*, tanquam a digniori, est tota illa causæ discussio, quæ fit a citatione, duratque usque ad sententiam inclusive. Et cum iudicium taliter accepto, coincidit: « processus iudi-

ciarius: » haud obstante, quod iudicium ordinarium proprie a litis contestatione primum incipiat, juxta dicenda n. 17. et seqq.

13, 14 et 15. — *Instantia, Lis et Causa?* — *Instantia* est actualis excitatio iudicii, incipiens a litis contestatione usque ad sententiam, vel saltem usque ad finem triennii: tunc enim, spectato jure civili (quidquid sit de canonico, juxta c. *Venerabilis.* 20 h. t. et Abbatem ibid. n. 1. et 4. ac dicenda inferius n. 32.) perit instantia, exceptis causis fiscalibus, et publicarum actionum, l. *Properandum.* § 1. *de Iudiciis.* Unde inquit Jason loc. cit. post Paulum de Castro, et Pirhing, tit. *de Foro compet.* n. 212. quod hæc sit differentia inter instantiam, et processum: quia instantia proprie incipit a litis contestatione, sed processus a citatione. Accedunt dicenda inferius n. 25 et 26.

*Lis* est nomen magis generale, et quandoque ponitur pro instantia causæ; ut cit. l. *Properandum*, C. *de Iudic.* ibi: « *Properandum* nobis visum est, ne lites fiant pene immortales. » Quandoque vero non solum instantiam, sed etiam ejus principale, sive causam in iudicium deductam significat; ut l. *Litis nomen.* 36, ff. *de Verb. signif.* ibi: « *Litis* nomen omnem actionem significat, sive in rem, sive in personam sit. »

*Causa* tandem proprie dicitur ipsa res controversa, quæ in iudicium deducitur. Et differt a lite, quod lis proprie dicatur post litem contestatam: causa vero ante et post. Jason. cit. n. 10. Differt etiam causa a quæstione, quod hæc tam intra, quam extra iudicium dicatur; causa vero proprie solum in iudicio. Pirhing ubi supra.

16. *Quæstio facti, et quæstio juris quid; et quomodo differat a causa?* Porro duplex distinguitur quæstio; una juris, alia facti. Quæstio facti est, cum de facto ipso, aut ejus circumstantiis quæritur, vel lis movetur: puta, an Cajus hominem occiderit, quomodo, quo loco, quo tempore, quibus instrumentis, etc. Quæstio juris est, quando de facti merito quæritur: puta, quid de tali facto jura constituerint? an Cajus jure occiderit hominem nec ne? qua pœna sit afficiendus? et hujusmodi.

17. *Quodnam dicatur litis exordium?* — Quæritur III. Quando iudicium censeatur incipere, sive (ut alii loquuntur) quodnam dicatur litis exordium? Resp. Quamvis iudicium ordinarium proprie incipiat a litis contestatione, et hæc communiter dicatur « litis

exordium: » nihilominus, quantum ad certos effectus, illud quandoque incipit a citatione, et aliquando ab oblatione libelli. Ita Glossa in c. *Super quæstionum.* 27. §. *Litis exordium. de Offic. delegat.*; Jason ad rubric. C. *De in jus vocando*; Gailus, lib. I. *Pract. observ.* 74. per totum; Pirhing tit. *de Foro compet.* n. 212. est in re communis.

18. *Judicium ordinarium proprie incipit a litis contestatione.* — Prima pars ex eo atet; quia omissa litis contestatione, processus iudiciarius est ipso jure nullus; ut cap. un. *de Litis contestat.* Neque ante eam regulariter testes recipi possunt, tot. tit. « Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem. » Hinc ante litem contestatam proprie non dicitur *iudicium*, juxta Abbatem ad rubric. h. t. n. 2. Et ea quæ procedunt lite non contestata, proprie non dicuntur acta iudicii, sed præparatoria ejus. Gailus loc. cit. n. 2.

19. *Litis contestatio est lapis angularis, et fundamentum iudicii.* — Unde merito litis contestatio appellatur « Lapis angularis, et fundamentum iudicii: » ut loquitur Jason ad rubric. C. *de Iudiciis.* n. 4. et Baldus in cap. un. n. 2. *de Litis contestat.* idque desumitur tum ex cit. cap. un. *de Litis contestat.*, tum ex auth. *de Litigiosis.* §. *Omnem.* collat. 8. ubi Glossa, §. *Initium*, amplius hoc probat. Quanquam istud solummodo locum habeat in iudicio ordinario: quia in summario non est necessaria litis contestatio, Clem., *Sæpe contingit. de Verb. signif.*

20. *Judicium incipit a citatione quoad tres effectus; et quales?* — Altera pars conclusionis, nempe quod iudicium quoad certos effectus incipiat a citatione, probatur inductione. Nam imprimis iudicium incipit a citatione quoad tres effectus, quos enumerat Jason in rubric. C. « De in jus vocando, » n. 1. Primo quidem quoad perpetuandam jurisdictionem delegatam: quia si delegatus ante mortem delegantis proposuit citationis edictum, censetur res non amplius integra; jamque est perpetua delegati iudicatio, lite primum post mortem delegantis contestata; ut c. *Licet* 30. et c. *Gratum.* 22. *de Offic. delegat.* et cap. ult. *de Offic. delegat.*, estque communis doctorum.

21. *Judicium incipit a citatione quoad tres effectus; et quales?* — Secundo, quoad interrumpendam in causis civilibus prescriptionem mere odiosam, seu quæ currit ex sola negligentia non petentis. Ad hanc enim in-

terrumpendam sufficit sola citatio, ad petitionem partis antea negligentis facta, l. *Sicut in rem.* juncta Glossa  $\gamma$ . *Per executorem.* C. de *Præscript. tringinta annorum.* Et merito, quia per citationem jam cessat negligentia, quæ est causa illius præscriptionis. Bartolus l. *Ex hoc edicto.* n. 1. et 2. ff. « De eo, per quem factum erit, » etc. oppositum docens de præscriptione mere favorabili, seu usucapione.

22. *Judicium incipit a citatione quoad tres effectus; et quales?*—Tertio, incipit iudicium a citatione quantum ad interrumpendam præscriptionem in causis criminalibus; ut l. *Martini.* § *Quinquennium.* ff. *Ad Legem Juliam de Adulteriis,* et amplius tradit Jason ubi supra.

23. *Et quoad faciendam rem litigiosam ab oblatione libelli.*—Tertia tandem pars conclusionis, nempe quod iudicium quoad certos effectus aliquando incipiat ab oblatione libelli, patet ex eo: quia quoad faciendam rem litigiosam (ita ut amplius alienari non possit; et si alienetur, alienatio sit irrita, et alienans variis pœnis subiaceat, l. 2. et seqq. de *Litigios.*). Litis exordium censetur esse oblatio libelli, reo sufficienter insinuata; prout clare habetur in Auth. *Litigiosa res.* C. de *Litigiosis,* ibi: « Litigiosa res est, de cujus dominio causa movetur inter possessorem et petitem judicaria conventionem, vel precibus principi oblatis, et judici insinuat, et per eum futuro reo cognitis. » Concordat Auth. de *Litigiosis,* collat. 8. unde prior desumpta: et amplius singula patebunt ex dicendis infra tit. 16. *Ut lite pendente,* etc. § 1. n. 2. et seqq. et § 2. n. 23. et seqq.

24. *Confessio, vel alia res, quando censeatur facta in iudicio?*—Tacetur, quod ad hoc ut confessio, vel alia res, dicatur facta in iudicio, satis sit, quod iudex sedeat in loco iudicii (id est, jus dicendi vel reddendi gratia) quantumque lis non sit contestata, l. *Voluit.* ff. de *Interrogatoriis actionib.* ac notat Abbas ad rubric. h. t. n. 2. citans Innocentium in c. *Qualiter et quando,* n. 2.  $\gamma$ . *Non negamus, de Accusation.*; Bartolum: quanquam Glossa in l. un.  $\gamma$ . *Confessos.* C. de *Confessis,* videatur ad id requirere præviã litem contestationem, dum verba illa, « Confessos in iure, » explicando subjungit: « Lite contestata, et in loco ubi redditur jus, et apud præsidem. »

25. *Judicium incipit tum a litem contestatione, tum a citatione, sed diversimode.*—Dices: Principium instituendi iudicii coram legitimo iudice, sumitur a citatione: § *Citatio.* Instit. de *Pœna temere litigant.* ibi: « Citatio, prima

pars iudicii dicitur, » juncto c. *Quoniam 11. de Probation.* ubi citatio inter actus iudiciales primo loco ponitur; ergo illud non sumitur ullo modo a litem contestatione. Resp. neg. consequent. Imo iudicium incipit ab utroque, sed diversimode. Nam a litem contestatione ita incipit iudicium, quod partes litigantes obligentur instantiæ, simulque amplius non possint regulariter iudicem recusare, sed teneantur coram eo, ubi lis contestata fuit, iudicium finire, l. *Ubi ceptum.* ff. de *Judiciis,* et alibi. Econtra per citationem ita incipit iudicium, ut tamen reus necdum obligetur instantiæ: imo possit libere, etiam actore invito, ab eo desistere; atque insuper ex justa causa adhuc possit recusare talem iudicem, et coram alio litigare.

26. *Dividitur in tres partes; et quales?*—Unde sequitur, quod instantia proprie incipiat a litem contestatione; processus iudicarius vero a citatione, ut jam dictum n. 12 et 13. Ex dictis concordat illa recepta doctrina Bartoli in l. 2. § *Quæro quomodo,* ff. de *Furtis.* et aliorum dicentium, quod iudicium dividatur in tres partes, scilicet in principium, medium, et finem: ex quibus principium durat usque ad contestationem litem inclusive, medium vero usque ad conclusionem in causa, et finis post conclusionem in causa usque ad sententiam inclusive; prout jam supra in præfatione hujus libri dictum fuit.

27. *Instantia causarum, quando finiatur?*—Quæritur IV. Quibus modis pereat, seu perimatur instantia causarum? Et dicitur notanter, *pereat*: nam quod post latam sententiam iudicis finiatur instantia, patet ex ejus definitione n. 13 allata: et proin, si ab ejusmodi sententia appellari contingat, jam nova, seu secunda instantia fieri censetur, et prior intelligitur finita, non autem proprie perempta; eo quod non fuerit viribus suis evacuata, sed effectum sententiæ judicialis obtinuerit. Quo prænotato,

28. *Hæc perit duobus modis.*—Resp. I. Instantia causarum generatim perit, seu evanescit, duobus modis: nempe per lapsum temporis; si videlicet causa non finiatur intra tempus a jure præscriptum, de quo proxime: et per absolutionem ab observatione iudicii. Ita Maranta in *Speculo aureo,* part. V, n. 49, Pirhing h. t. 144, et communis.

29. *Referuntur casus in quibus perit instantia per absolutionem ab observatione iudicii.*—Exemplum hujus posterioris est: quando in progressu iudicii apparet, quod intentio, seu

petitio actoris, in libello fuerit inepte proposita: puta, quia ex eo constat, actori actionem non competere; vel quia ipsemet libellus fuit ineptus ex defectu alicujus solemnitatis substantialis. Tunc enim nequit ferri sententia valida: ac proin iudex pronuntiat processum nullum, et absolvit reum ab observatione iudicii, reservato tamen actori jure iterum agendi, ac libellum petitionemque suam aliter et apte formandi, si voluerit. Textus est in c. *Examinata.* juncta Glossa fin. et Abbate ibid. n. 2. h. t.; Maranta cit. n. 49. et seqq.; Sannig h. t. cap. v. n. 6. et alii.

30. *Referuntur casus, in quibus perit instantia per absolutionem ab observatione iudicii.*—Alius casus, in quo potest ferri sententia absolutoria ab observatione iudicii, est ille, si videlicet actor lite contestata se absentat, et non prosequitur causam. Quia tunc in potestate rei est, vel prosequi causam, suasque probationes ac exceptiones proponere usque ad sententiam diffinitivam: vel petere, ut restitutus sibi ab actore expensis litem, absolvatur ab observatione iudicii; prout amplius habetur l. *Properandum.* § *Et si quidem.* C. de *Judiciis.* Tacentur alii casus, in quibus potest peti absolutio ab instantia iudicii, de quibus Maranta cit. n. 49. et seqq.

31. *De jure civili hæc etiam perimitur ex lapsu triennii.*—Resp. II. De jure civili perimitur instantia iudicii ex lapsu biennii in criminalibus, et ex lapsu triennii in causis civilibus, si causa intra præfatum tempus, a litem contestatione computandum, non finiatur, exceptis dumtaxat causis fiscalibus, et publicarum actionum. Patet hoc ex cit. l. *Properandum.* § 1. C. de *Judiciis*: ubi ita statutum legitur, ne lites fiant pene immortales, et vitæ hominum modum non excedant.

32. *Secus, spectato jure canonico.*—Resp. III. Nihilominus spectato jure canonico instantia iudicii non perit per lapsum triennii, sed est perpetua. Ita desumitur ex c. *Venerabilis.* 20. h. t. ac notat Glossa ibid.  $\gamma$ . *Non obstante.* et Abbas n. 6, et Barbosa n. 2, citans plures alios. Ratio est: quia, ut inquit Abbas. loc. cit., jus civile quoad propositum non fuit moribus receptum in foro ecclesiastico. Sic enim jam antea n. c. *Cum olim.* 14. § *Judices, de Privilegiis,* legitur factam esse condemnationem in expensis per quadriennium, quo iudicium duravit: et in C. *Tum ex litteris.* 5. *De integ. restit.* lis duravit longe ultra triennium; prout declarat Glossa ibid.  $\gamma$ . *Sententia.* Accedit ratio congruentiæ, ac disparitatis.

Siquidem secundum jus civile appellari tantum potest a sententia diffinitiva, l. penult. C. de *Appellat.* econtra secundum jus canonicum (intellige antiquum: secus attento novissimo jure concilii Trident., sess. 24. cap. xx. de *Reform.*) appellari poterat a sententia interlocutoria, et a quocumque gravamine, c. *Super eo.* 12. de *Appellat.* Unde sæpius iudex ecclesiasticus, ob intervenientes plures appellationes, non potuisset intra triennium decidere causam principalem; sicque haud immerito rigor juris civilis, quantum ad propositum, per sacros canones non fuit usu receptus; sed juxta hos instantia iudicii est perpetua, ut loquitur Barbosa in d. c. *Venerabilis.* n. 2. h. t. solvens contrarias. (ADNOTATIO XXII.)

## § II.

DE MULTIPlici DIVISIONE JUDICIORUM; UBI PLURA DE JUDICIO SUMMARIO.

33. *Judicium dividitur juxta quatuor causarum genera.*—Quæritur I. Quæ sit præcipua iudiciorum divisio? Resp. I. Rubrica præsentis tituli notanter inscribitur, *De Judiciis*: siquidem iudicium est multiplex. Præcipua vero ejus divisio est illa, qua ipsum juxta quatuor causarum genera dividitur in sæculare et ecclesiasticum, in civile et criminale, in petitorium et possessorium, ac tandem in ordinarium et summarium. Unde

34. *A causa efficiente, in sæculare et ecclesiasticum.*—Resp. II. A causa efficiente, seu ratione iudicis illud peragentis, dividitur iudicium in sæculare et ecclesiasticum. Iudicium ecclesiasticum dicitur illud, in quo dirimuntur causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes; sive, cui præest clericus potestate ab Ecclesia sibi facta. Iudicium sæculare econtra est, cui præest laicus, vel etiam clericus ratione patrimonii, territorii, aut alterius rei et potestatis sæcularis.

35, 36 et 37. *A causa finali, in civile et criminale, et in iudicium mixtum.*—Resp. III. A causa finali, seu ratione finis, ob quem processus judicialis instituitur, dividitur iudicium in civile et criminale. Iudicium civile est, quando non agitur super crimine, sed super re aliqua, sive jure debito; vel si quidem agatur super crimine, non tamen ad publicam vindictam, sed ad interesse privatum. Et hujusmodi iudicium civile non solum in rebus et causis mere civilibus, sive sæcu-